



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Jacobi Usserii Armachani Annales Veteris Et Novi
Testamenti**

Ussher, James

Lutetiæ Parisiorum, 1673

De Philippo Principe Palatino ad Rhenum, Philippi Melanchthonis Narratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14425

DE PHILIPPO PRINCIPE PALATINO

ad Rhenum , Philippi Melanchthonis

Narratio.

S. Æpe audivi narrare Capnionem , cùm apud Philippum principem Palatum electorem essent Dalburgius episcopus Vangionum , Rudolphus Agricola & ipse , & non solum in familiaribus colloquiis , sed etiam in deliberationibus de republicâ s̄epe narrarent insignia exempla vel Persica , vel Gr̄ca , vel Romana ; mirificè accensum esse principem studio cognoscendā historię , sed dixisse , se animadvertere , distinctione temporum , gentium & imperiorum opus esse : eamque ob causam petivisse , ut sibi ex totā antiquitate , quantum nota esset , ex Hebreis fontibus , & ex Gr̄cīs ac Latinis scriptoribus , ordine contenerent monarchias ; ut mente complecti tempora mundi , & seriem maximarum mutationum posset . Nulli tunc extabant scripti lingua Germanicā libri de veteribus imperiis . Nec Latinā pr̄ter Justini confusaneam epitomen , quæ tamen distinctione temporum carer , habebantur . Erat oīcum tunc illis doctis viris , & hoc labore delectabantur . Ordine igitur ex Hebreis , Gr̄cīs & Latinis monumentis monarchias recensent , & maximē digna memoriā suo loco adhibitā temporum & gentium distinctione inserunt . Legit avidissimē id scriptum princeps ingeniosus , seque letari dicebat , divinitus conservatam esse temporum seriem , & rerum pr̄cipiarum memoriam . Ostenderant enim ei continuatam esse mundi historiam ita , ut Herodotus inchoet suas narrationes paulo ante finem propheticā historię . Nam & ante regnum Persicum , de quo narrationes luculentę extant in Daniele , Esdrā & Nehemiā , regum Assyriorum & Ægyptiorum aliquot nomina sunt eadem in prophetis & Herodoto . Apryi pr̄dixit exitium Jeremias , quod describit Herodotus . Postquam Jeremiah interfecit Apryes , postea Amasis captum regem superbū strangulat . Agnoscere etiam se princeps Palatinus dicebat testimonia pr̄sentię Dei in constitutione monarchiarum , quia solis humanis viribus constitui & retineri non potuerint , & eō divinitus constitutæ sint , ut essent custodes humanæ societatis , conjungerent multas gentes , restituerent leges , judicia , pacem , ut docere homines de Deo possent . S̄epe igitur repetebat Danielis verba : *Deus imperia transfert & stabilit* . Mutationibus etiam & tyrannorum penitus dicebat conspicī judicium Dei , & moneri totum genus humanum illustribus exemplis ; ut agnoscat Deum , sciat ordinasse eum & velle justa & verē irasci violentibus ipsius ordinem . Tales erant ejus principis sermones , considerant̄s ordine imperiorum incrementa & ruinas .



INDEX PRIMUS